



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

90. Simeonis Archiepiscopi Seleucæ & Ctesiphontis, ciuitatu[m] Persidis,
ad centum martyras, quos vno tempore Sapor Tyrannus Persicus
interfecit, Exhortatio. Eodem cap.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Dignus eram saeva duplici de nomine morte,
 Crimine quòd lesi teq̄, Deumq̄, graui.
 Namq̄, pius Christum fueram quem ritè professus,
 Deserui nuper numina vestra colens,
 Te quoq̄, decipio, Rex nunc quem desero, Sapor,
 Eunuchus fatur talia verba pius.
 At Rex crudelis maiore concitus ira,
 Obtruncat clarum tam pietate virum.*

90. SIMEONIS ARCHIEPISCO-
 pi Seleucæ & Ctesiphontis, ciuitatū Per-
 fidis, ad centum martyras, quos vno
 tempore Sapor Tyrannus Perfi-
 cus interfecit, Exhortatio.
 Eodem cap.

*Sanguine ceu seuus gustato Erymanthius vrsus,
 Sauior ad prædam fitq̄, reditq̄, nouam.
 Eunuchi Sapor saeva sic cæde recenti
 Martyras in Christi sauior ipse furit.
 Eunuchum quondam seuus qui sustulit vnum,
 Iam laniat centum sauior Vrsa pios.
 Quos Simeon cæli vitæ est melioris in aula
 Spe consolatus mortis & ipse reus.*

EXHORTATIO AD MARTY-
 ras centum Simeonis, cum quibus &
 ipse pro nomine Christi in-
 terfectus est.

Simeon

Simeon assistens confortabat vniuersos
 & de resurrectione & pietate loquebatur,
 atq; de sacris scripturis, adhibens fidem,
 dicebat: Vitam quidem veram esse sic mori,
 mortem verò manifestam negare Deum, ad-
 iiciens, quia post paululum, etiam nullo peri-
 mente, spontè mors accedat. Hic est enim om-
 nibus natis finis ineuitabilis. Post hæc autem
 perpetuitas non omnibus similiter, accidet,
 sed velut ex quodam pondere, omnem ratio-
 nem reddent homines huius vitæ, & eorum,
 quæ bene gesserunt retributionem, & pœnas
 malorum sine dubitatione recipient. Maius
 autem inter omnia bona nihil est, ac beatius,
 quàm eligere mori pro Deo.

Fortiter ò morti fratres occumbite Christi

Nomine, quam statuit vos tolerare Deus.

Est sic vita mori fratres verissima vobis,

Mors est æternum dira negare Deum.

Quid sancta fugitis vos hac occumbere morte,

Hæc perimente tamen nemine vita cadit.

Omnibus est natis mors pallida finis in orbe,

Omnibus infestas inijcit illa manus.

Mors est aqua quidem, sed non post funera vita.

Sunt eadem cunctis fata futura viris.

Nam velut appenso rationem pondere quisq;

Factorum reddet post sua fata Deo.

Premia factorum reddentur gaudia iustis,

Iniusti pœnas quas meruere luent.

Non opus est maius cultusq̄ beatior ullus,
 Nomine quàm mortem sustinuisse Dei.
 His dictis, magno firmato robore sancti
 Fortiter in Domino flagra necemq̄ ferunt.

91. DICTVM PVSITII PRINCI-
 pis inter artifices regis, ad Ananiam se-
 nem trementem, cum duceretur ad mor-
 tem, cui postea Pusitio propter liberam
 confesionem Christi & exhortatio-
 nem ad martyras, per perforatam
 ceruicem, lingua fracta & ex-
 erta est. Cap. eodem.

Artifices inter præstantes Saporis aula,
 Pusitius clarus vir pietate fuit.
 Est hic Ananiam solari talibus orsus,
 Cum metuit mortis funera seua senex:
 Paululū ô senex claude oculos, & secur' esto,
 Mox enim Christi videbis aspectum.
 Quid trepidas aded? mentem cur occupat ista
 Formido, ob sanctæ vulnera pauca necis?
 Omnem pone metū, atq̄ oculos occlude parumper,
 Oraq̄ mox cernes Christi adamata tui.
 Pusitius capitur, fuerat quod Martyras ausus
 Hortari, & sese dicere Christicolam.
 Post (genus horrendum mortis) ceruice forata,
 Pusitio est sancto lingua resecta viro.

92. Ex